

1794.

1. Meissner, Iosephus Fridericus: De concursu et emulacione actionum

2. Welch, Georgius Fred: Historiae tam conceptiois quam prescribitionis &quisitivae mortuorum sect. I, lectio. nos suas per semestre aestivum . . . habendas induc turas.

1795.

1. Gries, Iosephus Michael: De indorsatione literarum Cambialium secundum jescambiale Hamburgense communis in auxilium vocato.
2. Groening, Henricus: De eo, quod iustitia est in nullis - letes iudicij criminalis
3. Lampf, Henricus: De viri et efficacia cancellarum pro tunc jure conductoris etiam emulorum rei luctae expellentem.
4. Luckassen, Constantinus Otto: De presentio publicis ex juri Germanico, presentatione Hamburgensis spectatio

1795

5. Mignault, Coetus Olivarius Fructus: De jure foederum
liberis imperii ciuitatis competente
6. Petzoldt, Nicolaus Hartwigius: De fundamento rigoris
Cambialis
- 7 Schaffhausen, Jacobus Nicolaus: De probacione
per libras mercatorum
8. W. Doy, Petrus Augustus: De depositione judicialis
debiti cambiialis praesertim ex jure Hamburgensi

A. T. Moiknow do omniandi & tunc. videt.

F. G. Höckner Do. exim. et. curat. ordin.
DISSE^TAT^O IN AVG^RALIS IVRIDICA

DE

CONCVRSV ET CVMVLATIONE ACTIONVM.

QVAM

PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQVENDIS

VIRORVM

AMPLISSIMORVM CONSULTISSIMORVM ET DOCTISSIMORVM
EX ILLVSTRI IVRECONSULTORVM ORDINE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA

SCRVTINIO DEVOTE SVBMITTIT

A V C T O R

JOANNES FRIEDERICVS MEISSNER
GOTTINGENSIS.

G O T T I N G A E

TYPIS JOANN. CHRIST. DIETERICH.
MDCCXCIV.

DISCOURSES OF THE
CITATION OF THE
TAXES IN THE STATE OF

34

ПОСЛАНИЕ ТЕ УСЛОВИЯ
МЧИОНДА

350

2. ПРИЧАСТЬ ДЛЯ ВЪДЪВЪДОВЪ СЪВѢТ

ПРИЧАСТЬ ДЛЯ ВЪДЪВЪДОВЪ СЪВѢТ

ПРИЧАСТЬ

ПРИЧАСТЬ ДЛЯ ВЪДЪВЪДОВЪ СЪВѢТ

ПРИЧАСТЬ ДЛЯ ВЪДЪВЪДОВЪ СЪВѢТ

ПРИЧАСТЬ ДЛЯ ВЪДЪВЪДОВЪ СЪВѢТ

ПРИЧАСТЬ ДЛЯ ВЪДЪВЪДОВЪ СЪВѢТ

ПРИЧАСТЬ

ПРИЧАСТЬ ДЛЯ ВЪДЪВЪДОВЪ СЪВѢТ

ПРИЧАСТЬ

ПРИЧАСТЬ

ПРИЧАСТЬ ДЛЯ ВЪДЪВЪДОВЪ СЪВѢТ

ПРИЧАСТЬ

CONSPECTVS.

Introitus

- 1) occasio scribendi §. 1.
- 2) instituti ratio §. 2.
- 3) notitia litteraria §. 3.

Tractatio ipsa

CAP. I. *De concursu actionum*

- 1) in genere
 - a) de eius fontibus §. 4.
 - b) notione, et §. 5.
 - c) divisionibus §. 6.
- 2) in specie
 - a) de concursu successivo §. 7.
 - b) electiō §. 8.
 - c) alternatiō §. 9.
 - d) cumulatiō §. 10.

2710771

A 2

CAP. II.

CAP. II. *De cumulatione actionum.*

- 1) Fontes doctrinae §. 11.
- 2) Cumulationis notio eiusque et concursus differentiae §. 12.
- 3) Eiusdem species, quae
 - a) generaliter describuntur §. 13.
 - b) de siugulis regulae traduntur §. 14.
- 4) Doctrinae propositae usus. §. 15.

INTROITVS

I N T R O I T V S.

§. I.

Occasio scribendi.

Inter difficultiora doctrinae de actionibus capita eminet, quod agit de earum concursu et cumulatione. Est hoc argumentum maximi momenti, aut difficultates quibus obrutum, aut usum, quem habet, eximum spectaueris.

Quo factum est, ut plures quidem in illustrando ipso operam suam industriadique collocarint. Verum enim vero haec tametsi me haud fugiant, tamen pro argumenti dignitate nondum omnia satis excussa ac sedulo separata, sed plura potius dubia restare aut erronea, mihi visum est.

Cuius rei caussa non magis in paucitate legum, quae ad hanc materiam spectant, quaerenda est, quam in eo, quod interpres plerique, tum quoad rem ipsam, tum quoad nomina quibus res distinguuntur, inter se maxime dissentiant, alii vero doctrinam hanc omnino taceant; quibus itaque rebus praxis in foro simul inconstans redditur. Hoc cum animaduerterem, nullus dubitauit quin operaे

pretium aliquod sim facturus, si argumentum hoc, arduum pariter ac vtile, ex instituto denuo tractarem, et in eius expositione studium meum et tempus aliquod ponerem.

§. 2.

Instituti ratio.

Priusquam ad ipsius argumenti expositionem me adcingam, methodus, quam in eo tractando, sim secuturus, erit praemittenda. Est autem haec: Actionum concursus ab earum cumulatione ratione fontium notionis et in genere sic differt ut vix aliquid habeant commune (§. 12.). Ex re itaque erit vtramque doctrinam separatim tractare; et quidem cum posito demum concursu ponи queat cumulatio, ab illo est incipiendum (Cap. I.), quippe quo via sternitur ad intelligendam magis hanc (Cap. II.). Simul vero praemonuisse expediet, tractationis nostrae hanc potissimum esse rationem ac finem propositum, ut notiones ac prima huius doctrinae principia curate ac distinete satis proponantur, non autem ut absolutus eiusdem prodeat commentarius.

§. 3.

Notitia litteraria.

Fontes vtriusque argumenti, cum admodum sint diversi, in vtroque capite singulatim indagare, nec generaliter hic proponere satius duxi.

Quod

Quoad subsidia autem monendum, plures iam doctrinam hanc, aut ex prosesso, aut incidenter tractasse. Ex quibus notatu digniores nunc recensebo. Sunt autem sequentes:

JO. BRUNNEMANNI *tr. de concursu, cumulatione et transmissione actionum.* Francof. ad Viadr. 1666. Halae, 1694. Francof. et Lipsiae, 1703. 4.

FRIEDR. ANDR. EGGLINGI *Diss. de concursu et cumulatione actionum.* Ienae, 1680.

CORN. VAN ECK *Diss. de cumulatione actionum.* Traj. ad Rhen. 1697.

ACHAT. LUD. SCHMIDII *Diss. de concursu actionum.* Ienae, 1753.

HERM. VULTEJI *tract. de iudiciis.* Cassellis, 1654. Lib. II. cap. 4. n. 226-424.

WOLFG. AD. LAUTERBACH in *Colleg. theoret. pract. pandect.* Lib. 44. Tit. 7. §. 90-97.

BEAT. JUST. HEN. BÖHMER in *doctrina de actionibus* Sect. III. de cumulatione actionum.

JOH. LUDW. SCHMIDT *pract. Lehrbuch von gerichtlichen Klagen und Einreden.* Jena, 1778. edit. 3. 1786. §. 59 sqq. §. 104 sqq.

CAPVT I.

CAPVT I.

DE CONCVRSV ACTIONVM.

§. 4.
Eiusdem fontes.

Prima nunc est dispectio de actionum concursu, vbi
prae omnibus fontes, vnde doctrina haec est haurienda,
sunt aperiundi.

Dubium non est quin iure ciuili Iustinianeo fuerit
cognita et a ICtis veteribus diligenter tractata. Paulus
enim ICtus peculiari tractatu: *de concurrentibus actionibus*
inscripto, materiam hanc iam illustrauit, cuius, licet ipse
non supersit, tamen vestigia ac fragmenta nobis restant a).

Leges romanae praeterea saepius *actiones concurrere*
aiunt b). Qui vero actiones concurrere dicit, idem etiam
necessere est, vt dicat, dari actionum concursum. Nomen
itaque in legibus romanis iam occurrit. Res vero per se
est manifesta et in ipsis rerum argumentis iam fundata.
Probatur quoque praeter textus adductos, omnibus iis
locis, vbi agitur de pluribus remediis eiusdem rei nomine
competentibus, et de actionibus quae se inuicem dicuntur
perimere, consumere, tollere.

§. 5.

a) Vti patet ex inscriptionibus legum quarundam, quae ex ipso in
pandectas transmigrarunt. cf. L. 34. D. de O. et A. cuius inscri-
piō haec est: "Paulus, libio singulari de concurrentibus actio-
nibus." L. 88. D. de furtis.

b) L. 10. D. de act. emti vend. L. penult. D. de O. et A. L. 43 et
130; D. de R. I.

Concursus notio.

Est autem concursus actionum status, quo plures actiones ab actore proponi possunt.

Ad concursus existentiam itaque primum requiritur ut plures obtineant actiones, ad minimum duae, sine respectu vtrum eiusdem sint generis, an diuersi, vtrum idem concernant obiectum, an aliud. Qui itaque rem ipsam, simul vero fructus et accessiones rei obtainere intendit, huic vna tantum est institienda actio, nec plures concurrere dici potest. Requiruntur deinde plures actiones quae actori simul et ita competit, ut quaeque ex his institui queat.

Concursus divisiones.

Actionum concursus varia ratione diuidi solet.

I) Ac primo quidem ratione qualitatis actionum concurrentium a quibusdam c) dispescitur in realem, personalem ex mixtum. *Realis* est concursus quando plures actiones in rem concurrunt.

Sic mulieri competit ob rem dotalem rei vindicatio et actio hypothecaria d). *Personalis* est concursus plurium actionum in personam e), personalis autem concursus

c) H. VULTEJI tr. de iud. l. c. num. 234 sq.

d) L. 30. C. de iure dotium.

e) L. 43. §. 1. D. de O. et A.

cursus vel est in persecutione rei, vel poenae vel vtriusque simul f).

Mixtus denique concursus est actionis in rem et in personam, puta vindicationis et condictionis; veluti donator id quod ultra 500 solidos inter viuos est donatum, nec insinuatum, reuocat rei vindicatione et condictione g).

Parum vero usus practici ab hac pendet distinctione.
Maioris momenti est

II) altera, a fine actionum concurrentium desumpta.

Plures enim, quae concurrunt, actiones *vel* tendunt ad eundem finem obtinendum, *vel* ad diuersos. Priori in casu vocatur concursus *simplex*, et varias iterum abit in species. *Vel* enim una actionum illarum intentata, nihilominus ex post reliquae possunt moueri et tunc concursus nominatur *successivus*; *vel* una actione instituta reliquae exspirant; quo casu una earum est eligenda. Electio vero haec *vel* competit actori, *vel* reo; indeque concursus est *vel electivus*, *vel alternatius*. Si vero plures actiones ad diuersa tendant simul obtinenda, tunc noua oritur species concursus Romanis non sic vocata h) nimirum concursus *cumulatus* i).

De

f) BRUNNEMANN I. c. S. I. c. II. §. 7. in f.

g) L. penult. C. de donat.

h) Romanis enim fuit concursus actionum status, quo plures actiones circa eandem rem ex una vel diuersis causis competit.

VULTEJUS I. c. n. 232. LAUTERBACH I. c. §. 90. et LL. ibi alleg.

i) Concursus hic *cumulatus* ab aliis quoque *cumulationis* nomine appellatur.

De singulis hisce speciebus singulatim nunc est praecipiendum, nulla tamen habita ratione, an plures actiones concurrentes simul quoque in uno libello possint institui i. e. cumulari, de quo infra Cap. II. dicendi locus est.

§. 7.

De concursu successuio.

Concursus actionum simplicis prima species est *successuus* quem et alii vocant *subordinatum s. succedaneum* k). Hic autem adest, si plures actiones ad idem tendentes ita obtinent ut vna earum instituta reliquae ex post nihilo minus possint moueri. Reliquae actiones itaque non exspirant, sed reditus ad easdem actori manet saluus, quod duplice contingere potest ratione; aut enim ita, ut vna actione mota, quod per eandem obtentum non est, postea peti posset per aliam, licet illa iam aliquid consecutus sit actor l) cuius rei exemplum exhibent remedium possessorium et petitorum circa idem obiectum; vel sic, ut deserta actione prius intentata, aut si in ea succubuerit, alteram in iudicium ducat m). Tali modo v. gr. concurrunt rei vindicatio et publiciana in rem actio n). Non

B 2

autem

k) BRUNNEMANN ET LAUTERBACH I. c.

l) L. 18, 32 et 34. D. de O. et A. BRUNNEMANN I. c. c. 3. §. 27-28.

m) VOET, ad Dig. L. 44. T. 7. §. 16 ab init.

n) Aliter quidem sentit beat. J. H. BÖHMER in doctr. de actionibus,

Sect. 3. §. 2. qui *alternative* has actiones cumulari adfirmat cum aliis. Concursus vero aut cumulatio non est alternativa, nisi reo competat

autem omnes actiones successive concurrentes in uno semper libello simul proponere licet (§. 15.) indeque actori probe notanda et adhibenda est cautela haec: ea plurium actionum prior est instituenda, quae intentata alteram non perimit; successius enim actionum concursus neutiquam est reciprocus sed vna tantum actio, eaque determinata, sequitur alteram. Qui itaque in petitorio prius intentato succubuerit, is ad possessorium configere nequit; frustra enim de possessione contenditur, vbi de petitorio liquida res est o). Pari ratione ei, qui actionem quanti minoris frustra tentauit, ad redhibitoriam denegatur regressus, cum illa tollat hanc, si de eodem vitio agatur p).

§. 8.

competat electio, quae ipsi autem hac in specie nulla ratione accenseri potest. Haec potius actionum illarum inter se est relatio vera: Rei vindicatio competit vero domino, cui autem si in difficultissima dominii probatione defecerit indeque in lite succubuerit, configere licet ad actionem publicianam, quam sub qualitate bona fidei possessoris instituit et quae, facilioris est probationis. Vna itaque post alteram est monenda, indeque concursus earum est successivus, aut si in uno libello coaccerentur, oritur cumulatio successiva. Cf. L. 39. §. 1. D. de enict. et voet ad pand. L. 6. T. 2. §. 3. "Verum dominum hac actione (publiciana) non esse audiendum, ait, nisi in probatione domini deficiens ad hanc configendi censeat — — praesertim cum et is, qui prius in rei vindicatione mota succubuerat, ob dominii non probati defectum, deinceps ad publicianam possit actionem transire."

o) DAV. MEVIUS P. 6. Dec. 100. n. 4.

p) I. AUG. HELLFELD in iurisprud. forens. §. 1113. n. 2.

De concursu electiū.

Electiū vocatur concursus, quoties actori competit electio inter plures actiones concurrentes, quarum vna si fuerit instituta, altera statim perimitur. Non itaque omnes simul, nec vna post alteram possunt institui. Cuius speciei exemplum adparet in actione personali ex testamento pro legato consequendo; qua si quis egerit aduersus heredem, amplius rei vindicatione, cum qua electio concurrent, aduersus eundem de eodem legato experiri nequit, siue per priorem actionem propositam legatum consecutus fuerit, siue minus q).

Concursus electini itaque, tam realis, quam personalis et mixti, ea est natura, ut actori competit electio, vnaque actione electa, reliquae evanescant r).

Duplex inde prosluit cautela, ab actore probe observanda. Primum quidem ipsi suadendum, ut commodo electionis vstat, nec reo eandem relinquat; leges enim pluribus actionibus ipsi prospexerunt, ut laxior sit agendi facultas s). Deinde autem praecipuum actoris debet esse studium, id ex pluribus eligere remedium, quod sibi maxime commodum ac conueniens esse existimat, ad consi-

B 3

lium

q) L. 76. §. 8. de Legat. II. voet tit. de Legat. n. 38 sq. — Plura concursus electini exempla recensentur apud BRUNNEMANN. I. c. S. 1. c. 3. §. 8. 25.

r) L. 43. §. 1. D. de R. I. L. 53. pr. D. de O. et A. L. 13. §. 14. D. quod metus causa.

s) L. 76. §. penult. D. de Legat. II.

lium Iustiniani, cuius, de ea re, haec sunt verba: *prout expedit, ita quisque hanc vel illam actionem eligere debet t).* Curate itaque inquirendum est in naturam actionem; habent enim sua commoda et incommoda, tum intuitu processus quo pertractandae sunt, tum intuitu exceptionum quibus sunt obnoxiae et ratione probationis u).

Electio itaque caute est instituenda; et ut de ipsa constet, ex re actoris est nomen actionis electae insuper adiicere, nisi iam ex fundamento agendi eius qualitas sat satis pateat. Quodsi vero hoc omissum, ita ut dubium sit quale remedium ab actore sit propositum, partium iudicis est, hoc eligere quod commodo actoris magis convenit v). Iudicis enim est ei fauere parti, cum qua modo agit, et in dubio intelligitur intentatum remedium illud, quod melius facto adiplicari potest.

Exceptionem tamen non omnem excludit regula ista, actorem scilicet, succumbentem in actione prius intentata, ad alteram refugere non posse. Reditus ad hanc ipsi solet concedi, duobus hisce in casibus: primum, si in rem

v) §. 5. I. quod cum eo qui in aliena potest.

w) Beat. J. H. BÖHMER de actionibus. Sect. I. c. I. §. 3. 4. JO. EICHER LII Diss. de requisitis ab adiuvato obseruandis circa competentem clienti actionem investigandam et feliciter obtainendam. Helmst.

1666. ANDR. MYLITI Diss. de actionibus inveniendis cauteque instituendis. Lips. 1697. HENR. WAGNERI Diss. de iis quae ante actionem instituendam sunt obseruanda. Francof. et Lips. 1788. Cap. 3 sqq.

v) L. 66. D. de iudiciis. LEYSER Sp. 494. med. 5. LUDOVICI in Civilproces, Cap. 2. §. 25.

indicatam nondum abiit sententia quam tulit index in priori iudicio; ac deinde si actio altera nouis fundari queat circumstantiis x).

§. 9.

De concursu alternatiuo.

Quoties actiones diuersae ita concurrunt, vt reo sit electio, qua scilicet velit conueniri, concursus vocari solet *alternatiuus*. Est species quam plerique ICti aut plane ignorant, aut saltim tacent y) ita vt cumulationem tantum alternatiuam dari censere videantur, cum tamen cumulatio nulla detur nisi prius adsit concursus (§. 12).

Concursus autem alternatiuus hisce potissimum in caussis obtinet: *Primum* si iuste ignoratur quo titulo reus ius nobis deneget, aut rem petendam possideat. Sic v. gr. quoties ignoratur vitrum titulo vniuersali, an vero singulari rem teneat, hereditatis petitio et rei vindicatio alternative concurrunt; pendet enim a responsione et electione rei, qua ex his sit agendum z).

Deinde

ibique propterea colligantur hereditas maior minor in
successione, etiam si non haec alibi videtur, in
x) L. 18. D. de O. et A. L. II. §. 4. de except. rei iud.

y) I. H. DE BERGER in oec. iur. L. 3. T. 14. th. 5. "Concursus actionum dividitur in electuum, successuum et cumulatum." Eadem verba habet LAUTERBACH l. c. L. 44. T. 7. §. 91.

z) Alii quidem hic adesse concursum negant, quia una tantum actio re vera obtineat, ea scilicet, quae a reo electa. Haec vero est natura omnis concursus *simplicis*.

Deinde concursus adest alternatiuus quoties reus est in obligatione alternatiua a). Obligatio autem alternatiua ea vocatur, vi cuius reus ad duplex praestandum ita est obstrictus, vt electio inter vtrumque ipsi competit. Sic v. c. debitor hypothecarius obligatus est, vt aut debitum soluat, aut possessionem hypothecae creditori concedat. Huic itaque competit actio personalis ad debitum exigendum et actio hypothecaria b) quae igitur actiones alternatiue concurrunt. Similem in modum actio personalis ex testamento pro legato consequendo et actio hypothecaria alternatiue obtinent aduersus heredem c).

Alii *denique* et sequentem luc referunt speciem: quando actor in genere ignorat qualis actio in substrato sit instituenda; plures ibi actiones alternatiue concurrere adfirmant. Sic casus contingere potest, quo ignoratur, vtrum querela nullitatis, an potius restitutione in integrum sit experiendum. Minus recte vero haec species concursui alternatiuo annumeratur, cum electio potius concurrant haec remedia. Actor enim licet ipse non elegerit, tamen eligere debuisse, ideoque eius nomine fit electio a iudice.

In omni autem concursu alternatiuo actori expedit, reum, mediis tamen non nisi licitis, inducere, vt hanc eligat actionem, quam ipse actor eligi optauit quaeque commodo ipsius magis conuenit. §. 10.

a) PETR. FRIDERI tract. de processibus, mandatis et monitor. Lib. III. cap. 10. §. 7.

b) L. 24. C. de pignoribus et hypothecis Nov. 4. c. 2.

c) Beat. R. H. BÖHMER introduct. in ius digestor. Lib. 30. §. 20. 21.

§. 10.

De concursu cumulativo.

Hactenus de concursu simplici eiusque speciebus, cuius oppositum est concursus *cumulatius* d) s. *simultaneus* s. *copulatus*, qui oritur, quando plures competit actiones ad diuersa tendentes et ex omnibus simul commodum consequi licet e).

Concursus cumulatiui autem duae sunt species; aut enim est obiectiuus, aut subiectiuus.

Obiectiuus est si plures actiones diuersae vnioco actori aduersus eundem reum ita competit, vt intuitu omnium condemnandus sit; seu quoties pluralitas ratione obiecti adest. Plures tamen litis consortes, cum habeantur proximo, non sunt exclusi.

Subiectiuus vero est, si pluralitas ratione subiecti seu partium litigantium adest, qui iterum non sunt litis consortes.

Concursus simultaneus obiectiuus triplici obtinere potest ratione. *Vel* enim ex eadem facti specie plures oriuntur actiones ad diuersa tendentes f), sic v. c. ex delicto eodem oritur actio ciuilis et actio criminalis; apud

Romanos

d) Actiones concurrunt *cumulativa*, hoc BRUNNEMANNO et aliis saepius idem est, ac: concurrunt ita, vt cumulari queant.

e) L. 34. pr. D. de O. et A. J. H. DE BERGER in oecon. iur. L. III. T. 14. th. 5. n. 3. LAUTERBACH C. T.P. L. 44. T. 7. §. 94.

f) L. 5. §. 1. D. ad Leg. Aquil.

C

Romanos simili modo actio rei persecutoria et poenalis ex eodem facto illico dabantur. *Vel* ex factis diuersis quidem sed connexis diuersa profluunt remedia, quod potissimum obtinet quoties vna actio alterius est praeiudicialis. Exemplo est actio de nobilitate et ad immunitatem a collectis. *Vel* denique ex factis diuersis et non connexis plures competit actiones. v. c. ex emtione et locatione circa diuersa obiecta inita actio emti et locatidantur, quae itaque simultanee concurrunt.

Sufficient haec de concursu actionum eiusque speciebus. Superest vt iam de cumulatione dispiciamus, quo demum facto, clara erit ac absoluta argumenti nostri expositio.

CAPVT

CAPVT II.

DE CVMULATIONE ACTIONVM.

§. II.

Fontes doctrinae.

Concursum actionum Romanis iam notum fuisse supra monui. Idem vero de cumulatione praedicari nequit, quippe quae ipsis fuit improbata.

Sunt quidem a sententia nostra alieni *g)* qui eam omnino obtinuisse adfirmant, prouocantes praeprimis in L. 11. D. de iurisd.; sed ipsae leges ciuiles et modus, quo apud Romanos actiones in indicium sunt deducti, istiusmodi cumulationi plane resistentes, contrarium aperte suadent *h)*. Ius Romanorum Flavianum seu formularium enim noluit concurrentes actiones vna formula proponi. Tamen vnico in casu admissa videtur, si scilicet fuerit incertum et dubium qua actione sit experiendum. Praetor tunc binas dedit actiones, non quidem ut vtraque, sed ut alseruntra harum efficaciter experiretur actor, vnde et protestandum ipsi fuit, se ex altera tantum velle consequi, quod ipsum contingat *i)*. Hi, similesque textus iu-

C 2

ris

g) GAIL. Lib. I. obs. 63.

h) L. 6. D. de except. rei iud. L. 43. §. 1. *D. de R. I.* L. 53. *pr. D. de O. et A.*

i) Sant fere verba L. 1. §. 4. D. quod legator. add. L. 16. C. de inoff. testam. J. O. WESTENBERG in *princip. iur. sec. ord. pand.* L. 44. Tit. 7. §. 99. LAUTERBACH C. T. P. L. 44. T. 7. §. 95 ab init.

ris Romani *k)* ansam dederunt vtiliter introducendae postea ab interpretibus pragmaticis actionum cumulationi; quam deinde ius canonicum, ex male intellecto iure civili, adprobauit, praxis denique ampliauit *l)*. Ius canonicum enim primum possessorii cum petitorio coniunctionem, iure Romano prohibitam *m)* permisit *n)* eaque est prima cumulationis hodiernae et caussa et origo *o)*.

Cum autem possessorium sit petitorii praeparatorium et vtrumque idem concernat obiectum, cumulatio tantum successiva exinde est orta; vsus forensis vero postea propter litigandi compendium, ad remedia ad diuersa tendentia, contra leges quidem, sed vtiliter, applicauit *p)* et variam cumulationum rationem inuenit. Haec de fontibus doctrinae, quae disputauimus, probe sunt notanda cauteque nobis prospiciendum, ne illos sequamur, qui omnia fere cumulationis capita e iure romano eruere ac deriuare falso student, indeque plures eiusdem species ut prohibitas reiiciunt, ac secundum praxin iustum est

Concursus

k) L. 12. §. 1. *D.* de adquir. vel amitt. poss.

L. 18. in *f.* *D.* de vi et vi arm.

l) JOH. VOET. ad pand. *L.* II. *T.* 13. §. 14.

m) L. 3. *C.* de interdict. *L.* 3. *C.* de rei vind.

n) Tot. tit. et c. 5 et 6. X. de causa propriet. et poss. *c.* 36. *X.* de testibus. *c.* 3. de rescriptis in *6to*. GONZALEZ TELLEZ ad Decre tales *c.* 2. *p.* 242. BEAT. J. B. BÖHMER *Ius eccles. protest.* *L.* 2. *T.* 12. SCHILTER prax. *iur. romani* Ex. 20. n. 22-23.

o) Vir in aeternum venerandus GE. LUD. BÖHMER in princip. *iur. canon.* §. 686.

*p) Quorsum iam collineat c. 3. de rescriptis in *6to*.*

Concursus actionum ex iure romano potissimum est diuidicandus, non autem *cumulatio*, in qua tractanda potius ad ius canonicum, pragmaticorum sententias et usum fori est respiciendum.

§. 12.

Cumulationis notio, eiusque et concursus differentiae.

Est autem *cumulatio actionum* coaceruatio plurium actionum, in uno eodemque libello facta *q).* Ut itaque ad sit cumulatio requiritur primum unicus libellus; deinde plures, ad minimum duae, actiones una ratione concurrentes adsint necesse est; denique plures haec actiones in eodem libello sunt coniungendae et ita simul proponendae.

His denum omnibus rite obseruatis oritur actionum *cumulatio*. Neque vero haec cum earundem concursu est eadem, licet interpretibus plerisque ita visum sit, qui utrumque vel plane non *r)* vel saltim non satis curate distinxerunt. Quae res neglecta in hac, quae est de actionum cumulatione, doctrina, difficultatem fecit et perplexitatem maximam *s).*

Differunt autem his potissimum momentis:

- 1) Quaestio concursus est de actionum competentia; quaestio autem cumulationis est de competentium exercitio
C. 3. seu
- 2) De variis cumulationis definitionibus conf. BRUNNEMANN l.c. S. II.
c. I. §. 12.
- 3) PETR. FRIDERUS de process. L. 3. c. 10. §. 2. inf. ait: "concursum sine cumulationem definio etc."
- 4) Ante alios rem iam distincte proposuit H. VULTEJUS l. c. n. 232 sq.
261 sq.

seu actuali in iudicio propositione coniuncta. Quod autem actionis competentia alia sit ab ipso actionis exercitio, ipsa res loquitur.

2) Non omnes actiones, quae concurrunt, possunt et cumulari (§. 14. n. 1. 2.) omnis autem cumulatio supponit actionum concursum. Competere alicui de iure posse plures actiones, ut tamen iisdem simul experiri non licet, de hoc non dubitandum, praecipue si ad iuris romani de hac re dispositiones respiciamus ^{t).} Exercitium enim actionum earundem quidem supponit competentiam, non vero si competant, consequens protinus est, ut simul exerceri queant. Competentia igitur actionum ac proinde concursus consistit in iure, exercitium vero ac proinde cumulatio spectatur in facto. Ille potissimum ad theoriam et scholam percinet, haec vero magis est praxeos et in foro spectatur ^{u).}

3) Nec non ratione fontium differunt. Sicuti enim de concursu actionum plura legimus in iure Romano, ita vicissim de cumulatione parum aut nihil in eo inuenimus scriptum, sed ex iure canonico et vsu forensi potius deriuanda est ac diiudicanda.

Cum itaque, per hactenus dicta, res ipsa multum differat, nomina quoque sunt sedulo secernenda, quod autem neglexerunt plerique interpretes, vtramque rem eodem nomine scil. concursus, aut promiscue saltim appellantes. Mihi vero, verborum Iustiniani: *commodius esse*

^{t)} L. 43. §. 1. D. de R. I. L. 53. de O. et A.

^{u)} VULTEJ. l. c. p. 263. n. 387.

SCHILTER prax. iur. Rom. Exerc. 20. n. 22.

esse singulas caussas, singulis distingui appellationibus v),
haud immemori, cum aliis conueniens visum est, rem
ipsam diuersam, diuersis quoque nominibus, hisque ar-
gumento conuenientibus, insigne, et ita concursum et
cumulationem iusto separare.

§. 13.

Cumulationis species, quae singulae describuntur.

Cumulatio actionum varias abit in species, quarum
 notiones ac differentiae nunc veniunt examinandae.

In quacunque cumulatione plures requiruntur actiones concurrentes, quae autem simul instituuntur *vel* ea intentione, vt vna tractentur et iudex in sententiando ad omnes respiciat; quo casu vocatur *cumulatio simultanea* ^{x)} seu *copulativa* veluti si actio emti, locati aut rei vindicatio coaceruentur ^{y)} *vel* vt non simul cogniscantur ac decidantur, quae cumulatio *simplicis* nomine venit, et sequentes iterum abit in species. Proponuntur enim actiones in uno libello, *vel* eo fine, vt vna post alteram eadem siue diuersa sententia decidatur; et haec cumulatio vocatur *successiva*, v. gr. actio ad exhibendum et rei vindicatio; *vel* ea ratione, vt vna ex actionibus cumulatis cognoscatur et sententia de ea feratur; tunc electio est instituenda, quae sit *vel* a iudice nomine actoris, qui plures actiones elective concurrentes simul proposuit, *vel* competit

v) §. 5. I. quibus modis testam.

x) LAUTERBACH C. T. P. l. c. §. 96 in f.

y) BRUNNEMANN l. c. S. II. c. 4. §. 2. p. 163.

competit *reō*, qui aut ipse eligit aut eius nomine *index*.
Prior *cumulatio* vocatur *electiua*, posterior *alternatiua*.

In *cumulatione* autem *simultanea* actiones diuersae
vel concernunt plura *objектa*, *vel* plura *subjecta*.

Duplex inde oritur *cumulationis* *simultaneae* species,
alia enim est *objiectua* alia *subjectua*. *Cumulatio objiectua* adest, quoties idem actor contra eundem reum plures proponit actiones diuersas in eodem libello, seu quoties pluralitas ratione *objecti* adest. Plures tamen litis consortes exclusi non sunt; cum hi pro vna habeantur persona. *Cumulatio* autem *subjectua* vocatur, si pluralitas ratione *subjecti* seu partium adest; litis consortes vero pluralitatem hanc non efficiunt.

Ex hisce patet, tot dari *cumulationis* species quot sunt species concursus, ad quarum exemplum quoque nominibus peculiaribus fuere designandae. *Nomina* enim, Iustinianus inquit, *rebus esse debent consequentia* z). (Cfr. tabula in calce dissertationis adnexa).

§. 14.

De singulis speciebus regulae traduntur.

Circa diuersas has *cumulationis* species, diuersae quoque obtinent iuris regulae, quibus neglectis *cumulatio* instituta non rata, sed vitiosa potius est atque exceptionem libelli inepti habet pedissequam.

Sunt quidem, qui *cumulationem* ex *regula* esse licitam adſirmant a), quod tamen varia ratione restringendum

z) §. 3. *I. de donation.*

a) JO. SCHILTER *prax. iur. rom.* Ex. 20. n. 21 et 24. H. VULTEJUS
l. c. n. 235-238.

dum esse concedunt, vt iam ex natura cumulationis conficitur. De quibus itaque pro finibus ac ratione dissertationis nostrae, paucis adhuc exponendum est.

1) Ac primo quidem spectanda *cumulatio simultanea subiectuia*, cuius tres sunt species. Aut enim plures ad-sunt actores diversi, aut plures diuersi rei; aut denique plures actores et rei simul, ita tamen, vt nexus consor-tii litis eos haud intercedat, quia alias pro vna haberentur persona. De omnibus hisce cumulationis subiectuiae spe-ciebus valet regula generalis: quod semper sint prohibi-tae b). Certe enim ineuitabiles alias essent confusiones in processu, permulta eque inde metuendae difficultates. Vnica tamen huic regulae addenda videtur exceptio haec: subiectuie cumulare licet, quoties identitas caussarum ob-tinet i. e. si plures ex eodem fundamento profluant actio-nes c). Exemplo sit nobis actio confessoria, qua perse-quimur seruitutem itineris, competentem in fundis qui-busdam vicinis, ex eadem caussa; hac contra omnes fun-dorum dominos simul experiri licitum est.

2) *Cumulationis simultaneae altera species* est quae vo-catur *objectua d)*. Quae vt adsit plures requiruntur actiones cumulatiue i. e. ita concurrentes vt omnibus si-mul

b) L. 6. D. de except. rei iud. P. FRIDERUS I. c. §. 10.

c) Tit. Dig. de quibus causis ad eundem iudicem eatur. BRUNNE-MANN in L. 8. C. fam. ercisc. n. 6. III.

d) Beat. J. H. BÖHMER de act. S. III. §. 8-12.

mul cum effectu agi possit (§. 10). Non autem vbique adest concursus cumulatiuus permissa semper habenda est cumulatio. Haec potius, vt obtainere queat, requiruntur: primum, vt iudici omnibus in caassis, quas actiones cumulandae concernunt, competat iurisdictio e), ne illicita exinde oriatur fori prorogatio. Deinde actiones diuersae ita sint comparatae necesse est, vt omnes eodem processus genere pertractari queant f). Hanc igitur ob caussam v. c. hereditatis petitio et actio ex cambio non poterunt cumulari, cum summarie haec sit tractanda. Requiruntur porro et remedia, quae sibi inuicem non sunt aduersaria aut ita comparata, vt decisio vnius, exceptionem rei iudicatae contra aliud pariat; incompatibilium enim inter se nulla est aggregatio g). Remedium itaque retinendae possessionis cum petitorio cumulari nequit h), ratio est quia sibi sunt contraria, in illo enim actor dicit se possidere, in hoc autem non se, sed aduersarium possidere adfirmsat.

Tandem videndum est, ne cumulatio sit nimis longe petita et actiones nimium inter se inconsequentes, disiunctae et distantes, quo fieret, vt processus remoretur, perplexus reddatur ac inuoluatur. Hinc litem Titio moturus

de

e) L. II. D. de iurisdict.

f) I. AUG. HELLFELD in iurisprud. forens. L. II. T. 13. §. 284. n. 2.

g) P. FRIDERUS I. c. L. III. c. 10. §. 3. et c. 17. n. 62.

h) PUFENDORF introd. ad process. P. 2. c. 1. §. 25. Recte tamen remedium retinendae possess. cumulatur cum actione confessoria, quippe quae etiam datur possessori. SCHILTER Exerc. 18. §. 44. V. Perill. GE. LUD. BÖHMER in princip. iur. canon. §. 683.

de quadringentis mutuis et deinde de stupro commisso, si nihil sit, quod caussam contineant, satius aget si actionem utramque non cumulet, sed alteram ab altera seiuicem proponat i). Est autem haec quaestio arbitraria iudicis, nec regulis specialibus potest determinari k).

Hisce omnibus rite obseruatis cumulatio obiectua est permissa, ac excipiens contra eam tenetur probare ineptam eandem esse ac legibus prohibitam, quia pro actore est regula l). Libellus ceterum sic est formandus, vt tot facta separatim aut et fundamenta proponantur, quot sunt actiones diuersae cumulatae, nisi omnes ex uno facto proueniant aut uno eodemque immitantur fundamento.

3) Sequitur *cumulatio simplex* singulaeque eiusdem species. In hac vero praemonuisse expediet, eam a simultanea (I et II) sedulo esse separandam, quod a plerisque neglectum hunc habuit effectum, vt varias cumulationis simplicis vetarent species, erronee opinantes, hanc eiusdem esse intentionem, vt omnibus actionibus cumulatis simul aliquid consequi velit actor. Tot requiri sententias autumant, quot actiones sunt cumulatae, indeque actori ita cumulanti obstare adfirmant exceptionem plus petitionis m).

Haec

i) P. FRIDERUS I. c.

k) JAC. FR. LUDOVICI *Einleitung zum Civilproces*, C. 9. §. 13. Sic v. c. in Saxonia ad tres diuersas actiones est restricta eiusmodi cumulatio.

l) LAUTERBACH C. T. P. L. 43. T. 1. §. 23. in f.

m) Cuius vitii reum inter alios plures inueni STRYKUM in annot. ad Lauterbach. L. II. T. 13. p. 69. vbi ait: "generaliter certum est,

Haec vero neutiquam cumulationis simplicis vera est
indoles ac ratio; neque enim actiones ita coniunctim sunt
institutae vt ratione omnium condemnandus sit reus, ne-
que cumulatio earum semper perdurat in ipso litis pro-
gressu et cognitione.

Quo facilius vt intelligantur haec, iam de singulis
dictae cumulationis speciebus vterius est dispiciendum:
inter quas primum tenet locum *Cumulatio successiva*.
Cuius quidem haec est natura: actiones diuersae succes-
sive concurrentes simul proponuntur eo fine, vt de vna
post alteram fiat cognitio ac sententia feratur.

Tali vero ratione cumulare tantum licet eas actiones
concurrentes, quarum vna alterius est aut praeparatoria
aut praejudicialis. Sic itaque recte cumulantur reme-
dium possessorum et petitorum v. g. hereditatis petitio
cum interdicto quorum bonorum *n*) aut pari ratione actio
ad exhibendum et rei vindicatio, actio de partu agno-
scendo cum hereditatis petitione *o*). Earum itaque action-
num, quae successive quidem sed ita concurrunt, vt vna
deum teneat si in altera iam instituta actor succubuerit,

non

„si actiones ad eandem rem tendant, quod non hodie cumulari
„possint istiusmodi actiones, ne scilicet bis idem petatur.“ In eo-
dem errore versatur FRIDERUS I. c. L. III. c. II. §. 8. Simile ali-
quid videre est apud BRUNNEMANN I. c. S. II. c. V. et alios. Ean-
dem ob causam *electuum* vocant omnem concursum simplicem,
WESTENBERG, in Pand. Lib. 44. Tit. 7. §. 101. 102.

n) BRUNNEMANN I. c. S. II. c. 2. §. 21.

o) LEYSER Sp. 36. m. 2.

non licita est cumulatio, sed vna post alteram est expeririendum; tamen et huic regulae exceptiones superaddidit praxis, ita vt v. g. admittat cumulationem successivam rei vindicationis et actionis publicianaee (§. 7. not. n).

Quod ad modum huius cumulationis adinet, de eo hoc obseruandum est: in libello cumulatiuo ea actio prius est proponenda, quae alterius est praeparatoria aut praedicialis, quo demum facto altera subsequitur. Incipiens itaque est libellus ab actione ad exhibendum, qua rite exposita ad rei vindicationem transeundum, aut a possessorio ad petitorium p). Cumulationis enim successiuae non is est effectus, vt ambae istae actiones eodem per tractentur processu, et vna de ipsis feratur sententia; haec potius eiusdem est ratio, vt causa praeparatoria prius excutiatur, deinde autem hac finita non opus sit nouo libello, verum ex priori illo principalis etiam causa definiatur q). Vtique tamen remedio satis instructo, de vtique simul pronunciare licet iudici r).

4) Ordo tangit *Cumulationem alternatiuam* s), cuius autem indeoles ac ratio haec est, quod nimnum plures proponantur actiones, eo fine, vt reus intuitu vnius tantum, quam aut ipse, aut eius nomine index elegerit, condemnatur.

D 3

netur.

p) C. 2. X. *de caus. proprie. et possess.*

q) Quorundam iam collineare videtur L. 13. C. *de rei vind.* Nec obstant L. 16. 18 et 21. *de except.* Cfr. LEYSER Sp. 36. m. 5.

r) V. perill. GE. LUD. BÖHMER in *princip. iur. canon.* §. 685.

s) B. J. H. BÖHMER *de act. Sect. III.* §. 2-7.

netur. Simulac itaque vlo modo electio fuerit facta, altera actio evanescit. Iisdem vero in caassis, vbi concursum alternatiuum adesse supra (§. 9) dictum, in iis quoque actiones recte et sine vitio libelli cumulantur *t*). Permissa igitur est cumulatio alternatiua rei vindicationis cum hereditatis petitione, quoties ignoratur quo titulo, vniuersali an particulari rem nostram possideat reus *u*). Recte deinde cumulatur actio hypothecaria cum personali ad debitum exigendum *v*); aut similem in modum actio personalis ex testamento legato consequendo cum actione hypothecaria *x*).

s) Restat vltima cumulationis simplicis species nimirum *electiua*. Quoties enim ad idem tendunt plures actiones concurrentes, hac quidem ratione, vt electio sit penes actorem, quo remedio contra reum velit experiri, tunc uno remedio electo alterum quidem exspirat. “*Non enim, Paulus ait, ut ex pluribus caassis debere nobis idem potest, ita ex pluribus idem potest nostrum esse*” *y*). Iniquum esset idem bis exigi, idque bona fides non patitur. Tamen vero si actor ipse eligere aut nolit, aut quae actio sit

t) LEYSER Sp. 37. m. 2. Sp. 468. m. 22.

u) LUD. CONR. SCHRÖDER progr. *num recte a reo, hereditatis petitione conueniendo, adhuc hodie editio tituli petatur*. Herbornae 1753. 4. §. 16. LEYSER Sp. 94. m. 2.

v) FRIDERUS I. c. L. III. c. II. §. 8. — D. MEVIUS P. 7. Dec. 403. ANDR. GAIL L. I. obs. 62. n. 8. — LEYSER Sp. 224. m. 2.

x) B. I. H. BÖHMER *de act. Sect. II. c. 3*, §. 72.

y) L. 159. *de R. I.*

sit mouenda nesciat, utramque ipsi instituere licet, praecipue cum hodie actiones nominatim exprimi receptum non sit. Quod vero non hac sit intentione, ut de utramque sit cognoscendum reusque condemnandus, sed eo potius consilio, ut index nomine actoris eligat remedium utilissimum. Partium enim iudicis est, vi officii nobilis, quod praeterea expresse, mediante clausula salutari, imploratur, litigantibus subuenire, eamque ex pluribus actionibus institutis eligere, quae commodo actoris est convenientissima z).

Cum itaque actiones electiae concurrentes possint quoque cumulari, electiuam hanc cumulationem vocare haud dubitauimus, rati nomen hoc rei esse conueniens.

§. 15.

Doctrinae propositae usus.

Superest ut de vsu huius doctrinae, perquam eleganter quam Vultejus ICTus vocat, pauca adiiciam.

Praecipua vero cumulationis introducendae ratio in favore litium dirimendarum est quaerenda. Lites enim cum sint odiosae a) favorabile est eas diminui aut saltim celeriter dirimi, idque ut fiat reipublicae multum interest, et, ut Vlpianus ait, ad officium iudicis pertinet b).

Cumula-

z) §. 34. I. de actionib. L. 66. de iudiciis. H. VULTEJUS l. c. n. 377.

a) Litium incomoda commemorat H. WAGNER loco supra (§. 8. not. u) cit. Cap. II.

b) L. 21. in f. de rebus creditis. L. 1. §. 10. de noui operis nunc.

Cumulationis vero is est effectus, vt mediante ipsa ambages ac impedimenta litium euitentur, aut quoque vno iudicio id fiat, quod alias duobus fieri deberet iudiciis. Actorem itaque multo citius et molestiis et sumtibus litium defuncturum esse, si actiones plures, quas habet, simul proponat, quam si vna post alteram experientur, hoc nemine contradicente adfirmare mihi licebit. Huc et collineant verba Coelestini tertii pontificis maximi, qui, *grauibus partium sumtibus parcere cupientem*, cumulationem possessorii et petitorii se introduxisse ait c). Eandem quoque rationem pulcerrimam proponit Innocentius quartus, hisce verbis: *dispendia litium aequitatis compendio volentes qua possumus iudustria coarctare etc.* d). Ut itaque rem in pauca conferam, finis cumulationis est duplex, unus, vt lites sint pauciores, et alter vt lites, quae sunt, celerius expediantur. Magnum itaque esse usum, quem in quaestionibus forensibus decidendis doctrina haec exhibet, cuicunque adparebit.

Caveat vero actor prudens, ne, nimio huius commodi studio abreptus, ulterius procedat ac efficiat, vt ex cumulationis abusu maius sentiat incommodum, quam ex anxia actionum separatione unquam poterit oriri, quod nempe tunc praecipue solet fieri, si res perspicua alias et satis clara, per cumulationem obscura reddatur et perplexa e).

Haec

c) C. 2. X. *de causa posses. et propriet.*

d) tit. C. 3. *de rescriptis in 6to.*

e) JOH. FRIEDR. SEYFFART im Teutschen Reichsproces c. I. §. 15;

33

Haec habui, quae de argumendo hoc in medium proferrem, eaque, et tempore et finibus praescriptis exclusus, vberius exponere nolui. Supra enim praemonui, dissertationis meae rationem non esse eam, vt absolutus extet commentarius de omnibus actionibus concurrentibus, quarum cumulatio aut permissa est aut prohibita f).

Curae potius cordique mihi fuit notiones satis distinctas ac prima huius doctrinae elementa eruere et ordine quedam proponere

Tantum!

f) Quorum interest de singulorum quorundam remediorum cumulatione disquisitiones perlegere latiores, hos remitto ad BRUNNEMANNUM l. c. S. II. c. 2 - 4. H. VULTEJ. l. c. A. GAIL L. I. obs. 63. J. VOET L. 44. T. 7. §. 16. W. A. LAUTERBACH l. c.

E

Ad

Ad §phum 13.p.

Cumulatio est coacératio plurium actionum concurrentium in uno eodemque libello facta.

Actiones concurrentes cumulantur

I ea intentione vt simul tractentur et index in sententiando ad omnes respiciat

I vt non simul et de omnibus fiat cognitio ac sententia feratur

(*Cumulatio simultanea s. copulativa*)
quae actiones concernunt

(*Cumulatio simplex*)
Proponuntur hae actiones

I plura obie-
cta diuersa

*Cumulatio ob-
iectiva*

I plura subiecta
diuersa s. partes

Cum. subiectiva

I eo fine, vt vna post alteram cognoscatur

C. successiva

I vt ad unam tan-
tum iudex in sen-
tentiendo respi-
ciat, qua decisa al-

tera expiret.

Tunc electio actionis est instituenda
quae

I a indice fit nomine
actoris

I competit reo, aut eius nomine
fit a iudice

Cumulatio electiva
v. gr. actio pers. et rei vindicatio pro legato consequendo,
aut querela nullatis et restitutio in integrum si actor
nescit quae teneat.

Cum. alternativa
v. gr. actio pers. et hypothecaria contra debitorem.


(X 228 2109)

ULB Halle
005 458 358

3



B.I.G.



DISSE^TAT^O IN AVG^RALIS IVRIDICA

DE

CONCVRSV ET CVMVLATIONE ACTIONVM.

QVAM

PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQUENDIS

VIRORVM

AMPLISSIMORVM CONSULTISSIMORVM ET DOCTISSIMORVM
EX ILLVSTRI IVRECONSULTORVM ORDINE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA

SCRVTINIO DEVOTE SVBMITTIT

AVCTOR

JOANNES FRIEDERICVS MEISSNER
GOTTINGENSIS.

GOTTINGAE

TYPIS JOANN. CHRIST. DIETERICH.
MDCCXCIV.

